

138

centesimis usuris collocata fuerat pecunia a C. Titio Colonia relicta, ex Calendario Sestertiorum CCCC. quotannis scuta Romana MCC. efficiebantur. Nec minori summâ opus erat ad epulum universo populo dividendum.

DIE NATALI. Præcipue Die Natali suo epula hæc dari volebant, qui pecuniam in id erogabant. Vid. elegantissimam Inscriptionem Beneventanam apud Fabrett. Inscr. Dom. Cap. III. n. 610.

TITI MAXIMI: hoc est C. Titii Maximi: sæpe enim prænomen filii idcirco fortasse omissum, quod commune cum patre fuerit. Nec desunt in ipsis C. Titii exempla. In Fabrett. Cap. V. n. 53. C. TITIVS PROBVS TITIO SEPTIMO titulum ponit in Gruter. pag. CCCCLXXV. 3. C. TITIO CHRESIMO honorem Bisellii ET TITIO CHRESIMO FILIO EIVS honorem Decurionatus Ordo Sueffanus decernit.

ET EX SESTERTIORVM DC &c. Pecuniam hanc HS DC separato Calendario administratam a C. Mutrio vidimus supra n. XXXVIII. Sestertiorum DC usuræ centesimæ quinto quoque anno, efficiunt scuta Romana millia IX. Hinc patet quanti sumptus fuerit muneris gladiatorii editio.

X L I V.

INter Pisarenisia marmora hæc quoque Inscriptio locum sibi vindicat, non solum quia a Plebe Pisarensi C. Valio posita fuit, verum etiam quia Pisauri olim visebatur, siquidem ultimæ siglæ interpretandæ sint *Decurionum Pisarensum*, ut infra dicam: licet Manutius in Ortograph. pag. 659. Romæ esse scribat, Gruterus vero p. CCCCLXXXI. 9. Ferrariæ in *Edibus Francisci Girardini*. Porro locorum varietatem mirari ñ solum poterunt, qui MSS. Inscriptionem Codices numquam viderint.

C. VALIO. *Vallia* gens sæpenumero occurrit in antiquis Inscriptionibus, non item *Valia*.

ORNAMENTA DECVRIONATVS. *Quemadmodum*, inquit Eñus Norisius Dif. I. Cap. 6. Cen. Pis. *Romanis ducibus re feliciter gesta Ornamenta Consularia ab Imperatoribus dabantur, ita in Colonia Civibus Plebeys optime de Patriâ meritis Ornamenta Decurionum conferebantur*. Hinc patet C. Valium, quum optime de splendidissimis Ordinibus Pisarensi, & Ariminenfi meruisset, fuisse ab iis Decurionatus ornamentis inlustratum,

nem-